

P R D



1613

Valkenburg Andreas Möller  
Graecia ad. Hal. Pet. II.  
Aprili 1670.

Xn 6 Q

# INDEX HORUM MISCELLANORUM MEDICORUM.

I. Questiones cum conclusionibus ac problematis p. N. Candita,  
tis Doctoratus i. De Phrenitide.

II. De Epilepsia

III. De Apoplexia

IV. De Pleuritide. Sir. Th. Epiphantes. de morbis contagiosis, De Scorbuto, De Ictero.  
De febribus ex parte de evacuationum generibus. sub  
D. Pencero i. H. Alberti

2. H. Zeeman

3. Dracstedt

4. H. Connerding

5. H. Heilandt.

Wittenb. Mo 1574. IX Cal. Mai.

III. Propositiones de Hydroze

de pleuritide

de pleuritide. sub D. Pencero. H. Summer.

IV. Thesis Medica de Vertebrine. Wittenb. Mo 1583. H. Buchamer

Paralys. Lingelius. Epilepsia. Convulsione.

H. Joffelius. Apoplexia. Incubus. sub G. Schatone

H. Horn

H. Tschmidt. Marcellus Wittenberg. d. 23. Oct. Mo 1600. q.

H. Tanderus. Plinius.

V. De Catarrho, Le Gangivis per Insim rejectione, de Alhma-  
te, Dysenteria sub D. Hellenbachio. H. Schultius.

H. Gelpi. Wittenb.

H. Sennert. Berg. 1583.

Tchnicorum Heidelberg. Mo 1603. sub G. Lucio. H. Sch.

VI. De Catarrhi natura ejusq; curatione et nobis. Salina  
Technicorum Heidelberg. Mo 1608. sub G. Lucio. H. Sch.

VII. Medicina febrevis in causas, signa amotionemq; nppri-  
tidos gelatis. sub G. Schröterzo Lonerus, Fenestris.

- XIX** De phaticis praeficatione de stenium provocacione sub  
D. Tandero. Kroß. Hettenbach. Gsch. Cademang Witte,  
de Berea A.D. 1614.
- X**. Dissoneria Natura & cura Janicini. Basileæ. A.D. 1616.
- XI**. Praeficatione & curatione viatorum Baumflucht & Rund  
Roths Rühr. D. Sharbin. Lipsiæ. A.D. 1601.
- XII** Tractatus de Artibriti de Kolreuteri. Leucopetrae  
A.D. 1503.
- XIII** De Podagra & Chiragra sub D. Hettenbachio ~~Lipper~~  
~~1603~~ M. Paulus Reinholz, Schaffenbergius Vit  
tenbergæ. A.D. 23. Augusti. A.D. 1605.
- XIV**. De Signorum discretione sub D. Cocco Paulus Rein  
holz. A.D. 1601. Witteb.
- XV**. Disputatio Pathologica secunda sub D. Vare  
Kesslerus A.D. 16 Aug. Jenæ. A.D. 1604.
- Manuscripta sequuntur.
- XVI**. Theses Medicæ, quibus quo morborum Tempore  
purgandum sit explicativi sub D. Sennertio M. Paul  
us Reinholz. Witteb. A.D. 1602.
- XVII**. Regimen Contagij grassantis D. Reinholzus ist  
Tractat.
- XVIII**. De Sulphib. A.D. 1601.

F. I. S. I. S.

1.

QVÆSTIONES  
CVM  
CONCLVSIONIBVS  
AC PROBLEMATIS,

*Candidatis Doctoratus in Arte Medica  
numero IIII. pro insignibus Doctoralibus, Lipsiæ  
in æde Paulina per Martinum à Drembach  
Medicinæ Doctorem, eiusdemq; facul-  
tatis Decanum & Promotorem,  
consequendis, explicandæ  
& defendendæ:*

- I. De Phrenitide.
- II. De Epilepsia.
- III. De Apoplexia.
- IV. De Pleuritide.

Die XII. Mensis Septembris,

*Paulus Rainsford*  
*Acto 1648.*

Anno Christi Iesu

M. D. LXXXI.

LIPSIA

Johannes Rhamba excudebat.

KEN.PR.FR.  
UNIVERS.  
ZV HALLE



QVÆSTIO I. D. LI  
CENTIATI MAXIMI  
GERITS MERSEBUR-  
GENSIS.

V. Phrenitis, quæ est inflammatio membranarum Cerebri, cum Fe-  
bre acuta delirium & Mentis alienationem inducens, vt ex Pos-  
sidonio refert Aëtius:

Morbus sit ex similari instrumentario communiqz compositus, Et  
propterea compositum quoqz curandi modum requirat?

CONCLVSIONES.

I.

IN Phrenitide quærere quid primo afficiatur Cerebrum ne  
ipsum, an eius membranæ, nō multum affert vtilitatis: cum  
neqz Cerebrum sine membrana, ipsum complectente, neqz  
ista sine illo affectum prope vllum sustinere queat, vt uno in-  
flammato, alterum quoqz non inflammetur.

II.

Quod tamen de tenui præsertim Membrana est intelli-  
gendum. Nam crassior, quod longius absit à Cerebro, sola  
etiam potest affici, vt tunc cerebro compatiatur, cum intem-  
peries, vel fluxio maior & vehementior sit.

III.

Inflammationis autem vocabulum in Phrenitidis defi-  
nitione acceptum, tumorem cum intemperie cæterisqz acci-  
dentiis communiter compræhendit, à quocunque calido  
fucco habuerit ortum.

IV.

Porro quod dicitur alienatio mentis, Symptoma est, quo  
Phreniticus præpostere ratiocinatur, aut aliena imaginatur,

A 2 & qua-

& qualia uel nusquam uel aliter existunt. Perturbatis nimis  
rum & confusis, anima, spiritibusq; propter organum quod  
ab influente materia percutitur impelliturq;.

V.

Ex quo fonte Phreniticorum etiam differentiæ accipi solent. Quibusdam enim ratio constat imaginatio nequaquam, ut Galeno ipsi & Theophilo accidit, alijs contra, ut lanifici pueri. Quamplurimis utraq; facultas lœsa est.

V I.

Sed à caussis facientibus inflammationem utilius differentiæ Phrenitidis ducuntur. Sunt autem illæ vel sanguis, uel bilis pallida & flava, uel atra & assata.

V I I.

Ab assata bile grauissima Phrenitis fit, à flava bile minus grauis, quod non sit adeo excalafacta, à pallida adhuc mitior, quod ei serosum recrementum commisceatur, à sanguine mitissima.

V I I I.

Sanguinem hoc loco intelligimus non optimum illum, & mediocrem crassitudinem habentem, ex quo propriissime vocata inflammatio fit. Sed sanguinem feruentem, & secundum substantiam tenuorem, qui vt flauæ bili similis est, ita similes quoq; gignit affectus.

I X.

Caussæ primitiæ Phrenitidis sunt aër calidus & siccus, Exercitatio vehemens, Balneum calidum, Esculentæ & poculenta acutiora, Vigiliæ nimiae, vehemens excandescencia, aliaq; huius generis quæ augent, atq; aëris constitutio, &c.

X.

Talis est vera Phrenitis, atq; ab his caussis nascitur. Non vera dicitur, cum cerebrum neq; per se, neq; per essentiam affectum est, sed per consensum vel totius corporis ambitus, qualis in febribus quibusdam accidit. Vel diaphragmatis uel ventriculi, uel alterius cuiuspiam partis & *παραφρενίτις* nominatur.

Quan-

### X I.

Quanquam autem Galeno etiam teste, Hippocrates omnes eos appellat φρενιτικοὺς, qui perpetuo delirantes, febricitant, attamen παραφρενῖτις (quo nomine & παρακοπὴ & παράκρυσις & παραφορὰ compræhendimus) à Phrenitide cum alijs de caussis, tum eò distinguitur. Quod hæc sit febris caufsa cum delirio perpetuo & assiduo. Illa vero Symptoma ad febrim plerumq; consequens, qua aucta & ipsum augetur, remissa quiescit.

### X II.

Illa vero παραφρενῖτις, quæ ad diaphragmatis inflammationem sequitur, quanquam valde similis veræ Phrenitidi appareat, certis tamen notis ab ea seiungitur. Nam in Phrenitide dolor capitis, & ardor adest vehementior cum perpetuo delirio, spiratione magna & rara. In altero vero affectu non sicut res habet, Sed vicissim hypochondria calent magis, dolent & conuelluntur, Cum inspiratione non semper magna & ex longis interuallis, sed quandoq; parua & frequenti.

### X III.

Signa Phrenitidis in vniuersum uel aduenientem & exordientem, uel iam præsentem & factam passionem declarant.

Imminentem exordientemq; præcipue & propriè hæc indicant, Vigiliae, somni turbati manifestis imaginationibus, Obliviones magnæ, Responiones turbulentiores, Exiguus potus, vnde ab Hippocrate Βραχυπόται vocantur, Respiratio magna & rara, Pulsus paruus, & Nervosus, durus.

Factam vero & iam inualescentem, hæc præterea signa ostendunt: Imaginationis uel cogitationis, uel vtriusq; simul lœsio, quæ non imminuitur inclinante febre, sed eadem permanet, vnde & illa floccos auellere, festucas carpere, Capitis dolor grauis, tensius, punctorius, pulsatorius, oculi squalidi, sanguinei, tetrici, sordidi, fixi, & quasi immobiles. Ex naribus stillat sanguis, linguae ariditas, nigredo, asperitas. Vrinæ uel suppressio, uel cruditas, Febris non intermittens

squalida, & eodem tenore procedens mœstitia, & in aliquibus audacia temeritasq.

X I I I .

Phrenitidem à sanguine factam cognoscemus, quia risus illam comitari solet, Propensio maior in somnum, cum maiore rubore faciei & totius corporis, & vni formi motu morbi, id est, neq; tertio neq; quarto quoq; die typum mutante. Quam vero bilis flaua uel pallida excitat, rixæ, audacia, iracundia sequuntur, cum oculorum vultusq; flauiciæ & pallore vigilijs multis, lingua ariditate maiore. Quam assata bilis gignit, ferina Melancholia, & furor implacabilis comitatur.

Præseruatio ab imminente Phrenitide, & curatio incipientis, uel nondum confirmata his perficitur. Primo, ratione victus instituta, Quæ in genere talis esse debet, vt sanguini Cholerico & ipsi cholerae aduersetur. Aër sit uel paretur temperatus, ne uel nimia caliditate caput magis impleat, inflammationemq; magis iritet, Vel frigiditate dissolutionem excrementorum impedit condensando. Non sit crassus, non vaporosus, non valde lucidus locus, vel picturis varijs exornatus, ne Mens adhuc magis distrahitur. Non item valde obscurus, ne hæsitant & extra se posito rerum cognitio magis suspensa reddatur, in qua re tamen sententia Celsi & Areatai omnium maxime probanda.

Amicos apud se habeat Phreniticus sibi charos, quorum consuetudine delectetur, & hortationibus obiurgationibusq; pareat.

Quiescat uel sponte uel vi, Motio namq; & præsertim inordinata illa Phreniticorum vires prosternit, & somnum impedit. In quo casu pedes, manus, vinculis arctius ligatae, reuulsionis quoq; usum præstabunt.

Somnus Phreniticis difficilis est, ut ilissimus tamen, Nam sedat deliria, humectat squalorem, capitisq; calorem temperat, quapropter omnibus modis & alimentis & Medicamentis est procurandus.

Cibus sit moderatus, ne uel repletione magis insaniat ager, Vel nimia inanitione in cardiacam imbecillitatem incidat.

cidat. Sorbitonibus potissimum vtendum, vbi vires sunt admodum prostratae.

Accommodatissima iudicatur Ptisana bene cocta, laudatur etiam eius loco succus auenæ cum succo granatorum, vel omphacij & limonum ad humorum constipationem. Sorbitio item ex recenti hordeo, & panis in aqua calida intinctus, lactuca elixa, & alia olera frigida.

Potus fit aqua hordei, uel decoctum prunorum, uel aqua cocta, cui fit addita portio modica succi acetositatis citri, vel malorum punicorum acidorum, & morbo inclinante & coqui incipiente, modica vini διλυγοφόρα potio nihil obfset. Deinde statim ab initio, si vires constent vena fecetur. Vena fit vel media cubiti aut etiam saphena si plethora adfit, vel si morbus creuerit & perseueret, etiam externa cubiti uel frontis. In quem etiam vsum ad deriuandum in occipitio figendæ cucurbitulæ & naribus hyrudines applicandæ.

Diuersiones fiant cum vinculis extrema religantibus, frictionibus, lenibus inferiorum partium, Et Clysteribus paulò acrioribus, vt diapruno solutiuo. Repercussiones, cum Epithematis instillationibus, præsertim ad collum, frontem, totum caput iuxta comissuram coronalem, & intra aures, Ex aqua rosarum, oleo rosaceo aceto, aqua plantaginis, solatri, myrti, semperuiuæ, itemq; odoramenta eiusdem generis, cū sandalis rubris & citrinis. Conueniunt etiam leues euacuationes, euacuandi aut saltem reuellendi gratia, quæ tamen inflammationem vel febrim augere nequeant, imo vtruncq; mitigan, Ex manna nimirum, cassia, sacharo violaceo, Rhabarbaro infuso in aqua endiuia, aut prunorum & violarum, decocti tamarindorum & fructuum Mesue.

Si vero iam facta & confirmata Phrenitis fuerit, resolutioni materiæ incumbendum erit, & symptomatis grauioribus auferendis, illud per interna lenientia Medicamenta præstabitur supra memorata, atq; etiam externa, vt cum embrocatione uel irrigatione capitis, decoctis discutientibus, & crassos vapores transpirare facientibus, talia sunt serpillum, anethum, maiorana, folia senæ, Melilotum, viola, althea,

thea, cocta cum oleo rosaceo, uel chamæmelino, atq; si per nares eorum vapor calidus attrahatur, columbi, catuli, pulli scissi per medium, & euiscerati impositi. Itemq; pulmones arietis calidi maxime conducunt. Dum tamen illud animaduertatur, ne talia admoueantur priusquam transactum sit morbi incrementum, & inclinauerit vigor ille summus. Alioquin enim & inflammatio & febris augeri in perniciem ægrotantis possent. Eodem tempore conuenit aquæ potabilis balneum temperatum, præsertim ubi vigiliæ & siccitas vrgeant etiamsi febricitent.

Vigiliæ autem præter cætera symptomata maxime delirantibus nocent. Contra somnus valde prodest. Hic procurabitur crurum blanda frictione, fontibus artificiosis intracubiculum, odore, decocti papaveris, lactucæ, violarum, rosarum, addito modico aceti, atque ex eiusdem etiam decocti irrigatione, inunctione narium cum rosaceo uel populeo vnguento, Potione syrapi violarum vel etiam papaveris.

Vrinæ quoque retentio vrgere solet, cui subueniemus cataplasmate ex parietaria, vel inunctione regionis vesicæ cum oleo scorpionum.

P R O B L E M A.

**V**trum in omni Phrenitide abstinentum sit ab aqua frigida?

Q V E-



QVÆSTIO II. D. LI=  
CENTIATI MICHAELIS  
BARTH ANNÆBERGENSIS.

**V**trum Epilepsia conuulsio omnium corporis partium non perpetua,  
sed ex temporum accidens interuallis, omnem etatem inuadens,  
qua correpti instar mactatæ pecudis s̄epe prosternuntur, quatiente sese ce-  
rebro ad exturbandum ea quæ vel obſtruunt, vel noxia illi aut moleſta sunt,  
cum mentis ac ſenſuum oblaſtione tanta, vt nec punctiones ſaþe nec vſtio-  
nes ſentiant;

Vt cauſis variat & ſignis ac ſpeciebus diſſert, in quibus tamen omni-  
bus cerebrum afficitur: ita diuersis etiam rationibus curanda ſit, ne in pro-  
uerbiū incurritur, emiſſum in Ophthalmicos, qui uno Collyrio omnium  
oculos illinunt: Vel illud à Galeno vſurpatum: ἐνταπόδι πάντας  
ὑποθέσεις: In nulla tamen negligenda prorsus ſint ea, quæ à proprietate  
huic malo aduersantur?

C O N C L V S I O N E S.

I.

**E**pilepsia, morbus etiam Sacer, & Diuinus, Hercule-  
us item, Magnus & Maior, Caducus, Lunaticus, Comi-  
tialis, Sonticus, S. Valentini, alicubi & S. Ioannis, Regius  
item aliquibus (quod alijs Icteri eſt nomen) & in pueris παι-  
δική, & Mater puerorum (distinguente tamen hæc Rasi) &  
Bruta etiam nominatur.

II.

Dupliciter hæc accidit; Cerebrum enim uel ipsum pri-  
mogenio affectu laborat, vel per confenſum afficitur. Per  
confenſum dico partis cuiuscunq; vel oris ventriculi: Hunc  
enim confenſum Galenus ab alijs separans, tres huius mali  
differentias constituit.

III.

Cauſæ προκαταρκτικæ variæ ac multiplies eſſe poſſunt:  
ex quarum numero ſunt: Ociū, luxus, meri potio, Venus,  
B repletio,

repletio, ieunium, exercitium intempestuum, Sol, frigus,  
fatus Austrini & Boreales, ictus etiam & morsus venenati.

προγραμμάτιαι: eius in qua cerebrum primogenio est affetum, crassus & viscosus humor, isq; vel pituitosus vel Melancholicus de Galeni sententia, obstruens, vel malæ substantiæ, putredine sua cerebrum & spiritus pungens, atq; vt sese constringat caussam præbens, Sunt qui & à sanguine, & à bile, sed perrarò hoc malum oriri posse existimant: Sanè Hippocrat. aph. 19. part. 3. inter iuuenum morbos, quorum ætas biliosa est, epilepsiam retulit.

Illiis vero quæ per consensum fit, caussæ sunt, vapor & nuda qualitas: Eius quidem quæ à ventriculo pendet, vapor plerunq;, illius quæ ab alijs quibusdam partibus, nuda qualitas magis, de quo tamen non abs re, dubiam tulit sententiam Pelops. Huc referendæ uenient Epilepsiaæ illæ quæ à verminibus in intestinis, ab vtero ex fœtuum, mensium, & feminis retentione ac corruptione, à spatulis, à spondylis, à Mirach teste Auicenna oboriri possunt.

Non ignoramus tamen Auerroëm & Gentilem de Fulgineo, & alios quosdam à solo vapore Epilepsias deriuare uoluisse, detorto ad hanc sententiam Galenico argumento de subita inuasione & solutione, quod ille de crasso humore protulit. Idemq; sensit Pneumaticus ille quicunq; autor fuit libri de Flatibus Hippocrati falsò attributi.

### III I.

Signa προγρωσίκαιæ eius præcipue quæ per essentiam inuidit, sunt: Tristitia præcedens, corporis & animi inconstancia, cum motu minimè voluntario, obliuio, turbulenta insomnia, capitis dolor & grauitas, sensuum hebetatio, faciei pallor, lingua citrina & virides sub ea venæ: lingua etiam inordinate mouetur, & à nonnullis mordetur, plenitudo capitis præsertim in ira, & quæ periculo haud uacant constrictio pectoris, & difficultas anhelitus.

Eius quæ à consensu pendet cum ventriculo: dolor, agrauatio, punctura, mordicatio, palpitatio, turbatio, rosio & quasi tremor in orificio ventriculi, maximè famis tempore, interdum & nausea & reiectio.  
Eius

Eius quam Gal. tertiam fecit, signum, quod ea qui labo-  
rant, ij s̄æpe adueniente paroxysmo interdum velut frigidam  
quandam siue auram siue qualitatem sentiunt à parte affecta  
eleuari, eamq; cerebro communicari, cuius & ille & alij ex-  
empla referunt illustria.

*Διαγνωσικά*: Ægri subito concidunt, ex ore ferè, in pitui-  
tosa præcipue, spumæ mouentur, plerunq; stertunt, interdum  
vociterantur, quidam vrinam, quidam alia etiam excernunt.  
Pulsus est conuulsorius. Interposito tempore ad se redeunt,  
& per se consurgunt.

V.

Neutquam igitur, vulgi more, omnis morbus similitu-  
dinem & cognitionem cum Epilepsia quandam habens, pro-  
ea habendus aut curandus est, Multi enim concidunt sine  
conuulsione, & sine palpitatione ex causa frigida, & locis af-  
fectis, quantumuis cognata mala inter se differunt: In Caro  
enim & Epilepsia ventres magis, cerebri corpus minus, in  
Apoplexia vero corpus magis afficitur. Et in Caro anterior  
pars magis, in Apoplexia & Epilepsia vtraq;. In Catalepsi ve-  
ro & Catoche posteriora cerebri potius. Signa igitur distin-  
ctiua sunt: Si concidentes sensum amittunt, & conuulsiuo  
motu agitantur, aut palpitatione, tunc Epilepsia est, & si le-  
uiter agitantur, per consensem, si vehementer, per essentiam  
adest, correspondentibus cæteris signis, supra dictis.

Sin sensus amittitur, & nulla conuulsiio sequitur, vel Apo-  
plexia est vel Caros, uel Lethargus, &c. quæ ex suis signis sunt  
discernenda.

V I.

Porro obnoxij huic sunt morbo pueri maximè, propter  
cerebri humiditatem, & neruosi generis molliciem ac debi-  
litas, quamobrem & παιδικός est dictus: deinde adoles-  
centes qui vigesimum quintum annum nondum attigerunt,  
post ætate consistentes, minimè omnium senes. Et pueri qui-  
dem, nisi hæreditarium sit malum, liberari possunt: & multi  
corum liberantur, quibus pruritus uel capitis scabies crusto-

B 2 sa, &

sa, & Alboras, itemq; vlcera circa aures superueniunt. Quibus vero nares fluidæ, quiq; saliuosi sunt & mucosi, & qui statim in lucem editi euomunt aquosum excrementum, hi ab hoc malo immunes ferè sunt, etiamsi mater grauida eo fuerit correpta. Porro qui ante pubertatem Comitiales fiunt, iuuenes etiam, mutatione ætatis, temporum, locorum & victuum liberantur, Hippocr. aphor. 45. sect. 2. Quibus autem 25. anno accedit, ij ferè commoriuntur. aphor. 7. part. 5. Similiter etiam quibus ante pubertatem aduenit, nec, adueniente pubertate, mensium aut Veneris initio, aut dum vterum mulieres ferunt, soluitur. Mulieri prægnanti si superuenerit, eliso fœtu, & superfluitate menstrua abigitur. Febris quoq; Chronica, qualis in primis est quartana, securos facit ab Epilepsia, eamq; soluit. Sic & Morphæa & Apositemata superuenientia. Quæ frequentes nec diu durantes paroxysmos habet, faciliorem sui pollicetur curam: Quæ rariores & diuturnos, difficilem & tardam. Omnia autem pessimi sunt paroxysmi frequentes & longi. Talis enim Epilepsia acutissima, crebris accessionibus & symptomatum magnitudine non raro breui tempore iugulat. Fortior etiam & deterior est ea quæ ex Melancholia est. Nec raro in se mutuo commeant Melancholia & Epilepsia. Sæpius hoc malo viros quam fœminas occupari, pronunciauit Celsus, Sed fœminæ & pueri quibus sanguis paucus, & venæ angustiores, magis ex eo periclitantur.

## VII.

Ad Curationem quod spectat, consistit illa in præseruatione & Medicatione: vtracq; postulat iustum sex rerum non naturalium administrationem. Aër igitur etiam præseruationis caufa idoneus eligendus, Vstio Solis & ignis, calorq; immodicus omnis, vt & frigus, vitanda. Arceantur cibi & odores acres caput replentes. Rutæ autem non modo odorem, sed usum etiam in cibis probamus. Tota victus ratio ad cal. & sicc. in pituitosa præsertim Epilepsia dirigatur: cauenda cruditas, vitanda crausi succi alimenta, cibus non ingerendus nisi concocto priore, fames etiam diurna nocet, Vi-

cet, Vinum nec forte, nec largè bibendum, præsertim à balneo. Somnus & vigilia rectè moderanda. Exercitatione & frictione vtendum, in balneis non immorandum, commotio corporis turbulentia fugienda, & prospectus ex alto. Excretiones debito modo prouehendæ. Animus à subitis & vehementibus commotionibus custodiendus.

### VIII.

Medicatio in paroxysmi & quietis tempus diuiditur: In paroxysmo continendæ partes corporis & dirigendæ, atque excitandus æger, vocandus alta voce, stringendæ nares & aures, torquendi digiti præsertim minores. Odorata naribus adhibenda, vt ruta, thymus, Aſa fœtida quoq; autore Rasi, & Castorium. Rutæ quoq; tritæ succus per se, vel cum Castorio, aſa, pæonia, naribus immittendus.

Nec omittenda sternutatoria, Pyrethrūm &c. Ac pollicetur bonum sternutatio, si sequatur. His igitur atq; alijs iuuanda expulsio uel resolutio eius quod paroxysmum commouit. Multum etiam tribuitur sanguini ipsius ægri, si è quauis parte, magno præsertim pedis digito exceptus, labijs illinatur, & fronti.

### IX.

Quiescente paroxysmo Curatio eius quæ in cerebro per essentiam à Pituita pendet, incoanda à glandibus & clysteribus communes materias eduentibus ac diuertentibus: postea prosequenda humorem peccantem concoquentibus atque incidentibus, vt Syrupis de hyſſopo, de ſtœchade, de Cichorio cum Rhabarbaro, oxymelite, Scyllitico præsertim Democriti, melle rosaceo: & aquis ſtillatitijs Betonicæ, primulæ, Meliſſophylli, maioranæ, faluiæ, abſynthij, acetosæ, vel horum ac ſimilium decoctis, à quibus tamen quinque radices communes excludendæ non sine cauſa aliquibus uidentur. Educenda deinde materia præparata & concocta, Hiera Hermetis, Colocynthide, Agarico, pilulis Cochijſ, &c. & eradicanda sternutatorijs, errhinis, gargarismis, masticatorijs, caputpurgijs, non neglectis etiam idoneis capi-

tis inunctionibus, linimentis, emplastris. Vesicatoria etiam & cauteria si necesse sit tam actualia quam potentialia locis idoneis adhibenda, & roboranda natura ac cerebrum conserva Glycysidis, Diamoscho &c. non neglectis confectionibus magnis Theriaca, Mithridato, Aurea Alexandrina, &c. Ad vstitutiones tamen quod attinet, ita illæ sunt moderandæ, ne cruciatum & supplicium potius, quam sanationem ægris afferant.

A sanguine si pendere uideatur, præmisso emolliente enemate, sanguis mittendus, & nisi quid impedit oxyrhodina applicanda.

Si à bile, eius feroor restinguendus, & ipsa vacuanda.

Si à Melancholia, seruata eadem qua in pituitosæ methodo, remedia Melancholiæ destinata usurpanda.

Curatio eius quæ per consensum à ventriculo oritur, facilior est: Concitato enim, si natura non repugnet, vomitu, vel pharmaco vacuata materia quæ euaporationem excitat, curatur: procurata præsertim bona diæta & coctione, & roborato ventriculo tam per ea quæ assumuntur, quam per Topica foris, vñctiones uidelicet, emplastra, &c. dari etiam possunt tragemata à pastu, euaporationes prohibentia.

Eius porro Epilepsia quæ ab alia quauis parte mandante ac mittente vel spiritum venenatum uel qualitatem, per consensum cerebro communicatur, Curatio in eo consistit, vt, si fieri omnino possit, vinculis intercipiantur membra, (quorum quædam interdum salubriter amputata quoq; fuisse legimus) & vniuersalibus præmissis, pars ipsa mandans curretur. In ea si res postulet materia concoquenda, & quouis modo educenda, applicatis sudorificis, & si fieri potest Cucurbitulis cum scalpellatione, vel animali discerpto & adhuc calente adhibito, vel ano saltem gallinæ deplumato. A vesicatorijs etiam, sinapismis, exulcerantibus, & cauterijs non abhorrendum, neq; negligendus Antidotorum usus.

Puerorum Epilepsia (quanquam in his sæpe non tam Epilepsia, quam alia quædam similis, ex dentitione causisq; alijs conuulsio oboritur) ætate maximè mutatur: Vietus igitur

gitur tam pueri, quam nutricis si adhuc lactetur, diligens habenda ratio. In nutricis enim habitu & lacte plurimum est situm, haec exercenda, & a phlegmaticis cibis arcenda, Caput eius & corpus totum perpurgandum. Pueri naribus calida immittenda, caput aqua non irrigandum, sed oleis potius idoneis perungendum, partes conuulsæ in ordinem redigendæ. Præbent illis nonnulli Cardamomum & Peoniæ granata, mōschum item, coagulum leporinum, mel quoq; despumatum, cui aliquid eorum quæ à proprietate huic malo aduersantur, admiscent, nec à confectionibus magnis abstinent quidam, quæ pueris aliæs temerè dandæ non sunt. Peoniæ quoque radicem, de qua admirandum experimentum Galenus iactitat, aut Smaragdum collo appendunt.

X.

A proprietate autem & tota essentia Epilepsiam rectè & oportunè partim foris adhibita, partim assumta, partim utroque modo usurpata, arcent: Radix & semen Peoniæ maris præsertim decrescente Luna collecta, viscus quercinus, Thymus, Smaragdus, Iaspis, Corallus, lapis hirundinum, Alces vngula, Corium de fronte asini detractum, & Caluaria eiusdem, Vesica apri cum vrina, & cauda quoq; porci sylvestris fumo exiccata. Bubo quoq; manibus tractatus in se deriuasse puerilem Epilepsiam legitur. Et cinis Cuculi & hirundinis celebrantur, & cinis Cranij humani in primis, masculi in mare, fœminæ in fœnella. Quidam etiam iugulati hominis calido adhuc sanguine epoto, tali morbo sese liberarunt. Apud quos miserum auxilium, vt ait Celsus, tolerabile miseriarius malum fecit. Hæc vsu comperta testimonia magnorum Medicorum, & multorum habent seculorum: neq; Artephij vanitatem de coopertione clauorum in loco casus, aut similes nugas atq; superstitiones resipiunt, neq; Pythiæ oraculis vt Damocratæa innituntur.

A proprietate autem hoc malum excitant ac mouent, ideoq; modis omnibus evitanda sunt: odor Apij, Carui usci, galbani, Bituminis, Cornu & corij caprini, iecoris quoque hircini

hircini & caprini, ac carnis quoqz caprarum præsertim gran-  
dium, tum odor tum comedio, & gagates lapis.

P R O B L E M A.

I.

**C**ur autor Consilij pro puerो Epileptico, quod inter Ga-  
lenica extat, censuerit Epilepticorum cœnam, prandio  
liberaliorem esse oportere: cum ratio & communis usus  
atque experientia in his qui capitis repletionibus sunt  
obnoxij, repugnet, & Auicenna apertè contrarium sua-  
serit?

I I.

Cur summi Medici: Hippocrates, Galenus, Auicenna  
atque alij, Epilepsiam alias acutum, alias  
Chronicum dixerint morbum?



QVÆSTIO III. D. LI  
CENTIATI GEORGII  
MASBACH SCHVVEIN-  
FVRTENSIS.

**V**. Apoplexia, quæ est impotentia, seu cessatio membrorum à sensu & motu, propter oppilationem contingentem in ventriculis, & meatibus spiritus sensitui, ac motu iuxta principem Auicen. F. prima L. tertio cap. 12. curationem admittat:  
Siquidem Hippo. & arte, & longo usu edocitus pronunciārit, soluere apoplexiā fortē impossibile, debilem vero haud facile.

E T Y M O L O G.

**A**ποπλεξία latinis dicitur percussio, ἀπὸ τῷ ἀποπλέψει, suinto vocabulo ab accidente, eò quod Apoplectici fulmine, seu ictu quodam repentino percuti videantur: Vnde etiam siderati, & attoniti appellantur. I I.

Difserit à παραπληγίᾳ, ut totum à parte, illa enim vniuersum corpus, hæc alterum tantum latus stringit, neruis scilicet tām sentiendi, quām mouendi uim amittentibus. I I I.

Etsi vero hoc symptoma commune habeat apoplexia, cum alijs nonnullis morbis, vt sunt Epilepsia, carus, syncope, præfocatio &c. tamen ab illis haud omnino difficuler distingui potest, siquidem horum morborum differentes sunt notæ, & sui quasi idiosynsaci, vt Gale. cum alibi tum in 4. Loc. affect. per signa παθογνωμονικὰ distinguere docet.

C A V S A E.

III.

Huius ægritudinis duplices possunt assignari causæ, προκατάργηται, sive externæ vt casus, percussio, magnus motus, præceps ira, vehemens & repentina frigiditas capiti adueniens, hæc enim humores cogunt, & subito irruere faciunt.

προκύπτουσαι, sive internæ, nimia cùm aliorum humorum, tūm in primis pituitæ in cerebro existentis, aut eo delatae exuperantia, hæc namq; viscositate, ac frigiditate sua maxime apta est ob-

C struere

struere meatus, ne facultas animalis, quæ dat membris sensum, & motum influere possit.

V.

Antecedentes causæ sunt otiosa, atq; deses vita, crapula, temulentia, omnifq; inordinata, & inconueniens victus ratio, humida & frigida aëris constitutio, locus frigidior &c. hæc enim cruditates pariunt, & superfluitates in corporibus coaceruant.

VI.

Coniunctæ, apostema, & oppilatio meatuum, & uentricularum cerebri, tam principalium quam aliorum, ab humore aliquo proueniens: non autem à gutta sanguinis à cerebro ad cor delata, quemadmodum vulgo persua sum est.

VII.

Et vt summatim dicam, ac multa paucis complectar, quicquid aut subito meatus cerebri constringit, aut vniuersos semel implet, apoplexiā inducere potest, existente aliqua prædispositione.

S I G N A.

VIII.

Signa antecedentia sunt, ἔφιάλτης, latinis incubo, capitis turbatio, & cum grauitate acutus dolor, vertigo, tremor, somnolentia, & his similia παθήματα, quæ omnia, uel singula etiam, cum frequenter aliquem inuadunt, de futura apoplexia minantur, ni conuenienti sex rerum non naturalium, ac medicinæ tempestiuo usu malum anteueruntur.

IX.

Præsentem ægritudinem indicant, facultatis animalis omnimoda cessatio, casus, quem vt Gordonius & Valescus testantur, magna vox præcedere solet: difficilis & inordinata spiratio, quæ quanto est difficilior, tanto morbus periculosior, Galenus enim in comment. supra. aph. 42. P. 2. docet morbi huius magnitudinem aestimare, ex respirationis difficultate.

X.

Antequam vero consilium ineamus curationis, prius videntum num vita aliqua sit superstes, alias enim oleum & opera perduntur, & bonæ medici æstimationi derogatur, atq; cum difficilima sit huius morbi curatio, non nisi cum protestatione suscipienda illa videtur.

XI. Morbo-

XI.

Morborum siquidem acutorum non omnino certae sunt prædictiones salutis aut mortis, iuxta Hipp. antiquissimum simul ac perfectissimum artis nostræ magistrum, ob subitam in iudicatione permutationem, quæ naturam humorum morbificorum sequitur.

C V R A.

XII.

Canonicam vero curandi rationem, morbi huius ferocia penitus ferè interuertit, neq; enim crudum, & infestum humorem licet concoquere, à concoctione euacuare, à uacuatione quod reliquum est digerere, aut per conuenientia loca expurgare, quin protenus & sineulla cunctatione accelerandum est, ad euacuationes, reuulsiones, deriuationes, discussiones, quoquo modo fieri illæ queant.

XIII.

Variat quoq; curationis modus, ratione caussæ morbum facientis, in apoplexia enim, quæ à sanguine ortum habet, vbi scilicet facies cum rubore quodam tumet, uenæ oculorum prominent, tempora calent, arteriæ colli extuberant, rectè quippe à venæ sectione curam auspicamur, maximè si ætas, & anni siue temporis constitutio congruat.

XIII.

Sin crassa lentaue pituita, id quod plurimum fit, morbum hunc gignat, vbi neq; sanguinis, neque Plethora notæ apparent, corporis insuper temperatura, mollis, rara & laxa sit, venæ graciles, consultius erit initio per ænemata agere, inde ad alia veniendum, donec infestus humor à partibus principalibus remoueatur, & opilatio ventriculorum, atq; meatuum cerebri tollatur, quo facultas animalis influere rursus possit.

XV.

Est autem hic morbus ætati senili maximè familiaris, ob copiam excrementicij humoris, qui in cerebris senum redundat, iuxta aphoris. 57. lib. 6. ἀπόπληκτοι οἱ μάλισα γίνονται ἡλικίῃ τῇ ἀποτελαράκοντα ἐτέωρ ἄχρις ἔξικοντα.

XVI.

Quod si iuniores aliquando eo corripiuntur, tanto malum iudicatur periculosius, quanto maior caussa subesse arguitur, omnis

C 2

enim

enim ægritudo naturæ seu temperamento contraria, habetur diffi-  
cilio.

XVII.

Victu in hoc morbo ut in alijs acutiss. opus est tenuissimo,  
vbi autem is aliquantulum remiserit, cibus mollis, ἔνχυμος, & di-  
stributu facilis, cum vino dilutiori aut hydromelite, cui aliquid pipe-  
ris admixtum sit, offerendus est.

XVIII.

Notæ quibus vita in apoplectis depræhenditur, si ad sen-  
sum illa non appareat, passim in practicorum libris descriptæ ha-  
bentur, vt Bombyx, siue lana carminata, speculum tersum naribus  
admota, vitrum aq. plenum pectori superpositum, hæc enim si  
mouentur, aut speculum halitu inficitur, vita superesse creditur. Ea-  
tenus namq; viuit animal S. Philosoph. quatenus mouetur, ac sen-  
tit.

XIX.

Iacent autem apoplectici fixis oculis instar mortuorum, sine  
omni sensu, ac motu, quandoq; etiam sine respiratione, ita ut ca-  
lor penitus extintus aut suffocatus videtur, qui tamen licet exigu-  
us per solam perspirationem quæ per poros cutis fit, euentari potest,  
præsertim in frigidiori cordis temperatura.

XX.

Secundum præceptum itaq; medicorum, apoplectici ante ter-  
tium diem non sunt sepeliendi, nisi fœtor obstet, qui de morte teste-  
tur, ratio sumitur à motu humorum, quorum alias primo, alias se-  
cundo, alias tertio demum die moueri aptus est.

XXI.

Hæc quam fieri potuit breuissime καὶ μαθέσεομ, de assignata  
materia, proponere nunc visum fuit, pro dignitate enim, vel etiam  
necessitate eam tractare, nec ratio temporis, nec actus huius solen-  
itas sruerunt.

ПРОВА.

**A**N vinum, quod natura calidum est, immoderatè sumum apo-  
plexiam inducere posse, quæ inter morbos  
frigidos numeratur?

QVÆSTIO IIII. D. LI  
CENTIATI BALTHASA.  
RIS GVTLERİ LEMBER-  
GENSIS.

**V**In Pleuride siue morbo lateralī, qui est inflammatio membra-  
nae costas succingentis, ex affluxu sanguinis ut plurimum biliosi,  
cum febri acuta, diffici spiratione, tuſi, dolore lateris pungituo,  
pulſu veloci, inæquali ac tenſo, qui ferrinus eſt Galeno affligens:

Curationem à sanguinis mifione ordiri oporteat, maxime ubi is in  
corpore abundauerit, nec ætas ægri, vires, anni tempus, & ca-  
tera reclamauerint?

CONCLUSIONES.

I.

Inter affectus corporis humani præternat. pleuridem frequen-  
tissimum & insignem eſſe, vel hinc appetet, quod diuinus Hipp.  
in lib. de ratione victus eum ſibi potiſſimum proponendum duxit,  
in quo omnium acutorum morborum diætam curationemq; doce-  
ret.

II.

Hæc cum inflammationis fit species, neceſſario eſt morbus in  
magnitudine, intemperie, & continui ſolutione. Mole ſiquidem &  
tumore compositionem ſive ſtructuram partis mutat. Accedit au-  
tem ſemper intemperies feruida, ob humorem qui ſua caliditate  
temperaturam alterat, actionesq; naturales labefactat: & ſolutio  
continui, ex tensione, unde respiratio læditur.

III.

Propriæ differentiæ ab eſſentia illius, cauſis & effectibus ſunt  
videtur, cum dicimus aliam eſſe exquiritam ſeu veram, aliam non  
exquiritam ſeu notham, aliam benignam & mitem, malignam &  
peſtilentem aliam: quandam magnam ac paruam, item coctam & in-  
coctam &c. quarum plures iterum differentiæ & species conſtitui  
poſſunt.

IV.

Exquiritam pleuritis eſt, vbi inflammatio ipsam infestat prima-  
rio partein, à qua nomen obtinuit, Pleuram, vnde & musculi inter-

C 3 costales

costales in consensum trahuntur: non exquisita seu notha, vbi intercostales internos, qui communicant affectionem suam ipsi quoque membranæ.

V.

Primæ illius, (de qua nobis potiss. sermo est) caussa efficiens immediata est materia in parte laborante collecta & redundans, vnde inflammatio seu tumor ipse præternat. oritur. Est autem materia inflammationum sanguis vel solus, si ea exquisita est, vel cum alio humore mixtus, veluti pituita, bile vtraq;, & seroso humore.

V I.

Signa παθογνωμονικά, hoc est, necessaria & inseparabilia, & quæ essentiam morbi propriam comitantur, ex quæstione patent, quibus præterea à Galeno additur dolor capitis, qui perpetuo pleuritidem & peripneumoniam sequitur.

VII.

Morbum lateralem ab inflammatione Iecoris, pulsus & alui sedimentorum dissimilitudine distinguit Galenus. Multo enim durior ex succingentis quam ex iecoris inflammatione arteriæ motus percipitur, nec loturæ carnium similis est deiectione in pleuritide.

C V R A.

VIII.

Pleuritidis curationem tentandi caussa Hippoc. orditur à fomentis calidis parti dolenti appositis, quæ aut iuuant, & dolorem sedant, si parua est inflammatio, nec adeat plenitudo, aut non magnopere nocent.

IX.

Sunt autem fomenta, spongia in aqua calida infusa & expresa, aut vesica plena oleo chamaemelino, anethino, & decocto chamaemeli & meliloti, alijsq; similibus.

X.

Vbi vero dolor his sedatus non est, & signa veræ pleuritidis adsunt, cum plenitudine & sanguinis redundantia: Hipp. incisa vena brachij interiore in latere affecto, reuelliit simul & euacuat, κατ' ἔξιν seu κατ' εὐθύνην, vt ipse loquitur.

XI.

In febribus enim ardentibus internisq; inflammationibus, antequam sanguinis feruor aut putredo augescat, is statim per initia rectè mittitur, vt portione aliqua materiæ, vnde morbus originem sumvit,

sumsit, sublata, reliquam natura facilius concoquat euincatq; : mo-  
dō vires constent, & ventriculus primæq; venæ humoribus vicio-  
sis, crudisq; cibis non abundant.

### XII.

Vult autem Hipp. sanguinem eousq; detrahi, donec colorem  
mutet, & vel rubicundior multo, vel pro puro rubidoq; liuidus ef-  
fluxerit, Quod talis in colore & consistentia mutatio sanguinis ex  
parte inflammata translationem sufficienter commonstret. Sicq;  
velle videtur Hipp. vno saltu, vt dicitur, duos apros capere, id est,  
constantibus ægri viribus vna sectione fluentem humorem ad lon-  
ginqua reuellere atq; adeo euacuare, & iam in phlegmone con-  
tentum sanguinem per propinqua deriuare ac simul educere.

### XIII.

Non tamen semper hæc coloris in sanguine & consistentiæ  
mutatio expectanda videtur, vel ob vires imbecilles, vel prauitate in  
inflammationis, in qua sanguinis valide impaeti, nihil emittitur : ob  
humidam item calidamq; ægri temperaturam, corporis habitum  
mollem & tenerum, ob frigidam calidamq; nimium regionem, an-  
ni tempus & aëris statum, magna sanguinis copia nonnunquam  
prohibetur. Tuin ergo priusquam ille mutetur, venam suppressi, &  
per vices ex illa detrahi, quod semel poterat, reuulsionis saltem gra-  
tia, conuenit.

### XIV.

Quod igitur Phlebotomia ex vena lateris affecti euidentem  
sæpe utilitatem pleuritico afferat, Galeno etiam teste, tum scilicet,  
quando sanguis non confertim ac impetuose fluit, nec totum corpus  
humoribus plenum existit, in confessò est. Si tamen is vehe-  
mentius ad locum affectum irruat, sitq; plethoricum corpus, vt magna  
ex parte esse solet, & vires imbecillæ : à ratione non alienum vi-  
detur, reuulsionis saltem & auersionis gratia succi ad membrum  
patiens confluentis, venam oppositi brachij internam, aut eam  
quæ iuxta talum est eiusdem lateris, aperire.

### XV.

Licet enim per huiusmodi venæ incisionem, humoris ad par-  
tem phlegmone affectam confluentis reuulsio duntaxat, non au-  
tem euacuatio eius qui in illa continetur fiat, neq; dolor statim sede-  
tur, quod Galeno obscurum & paruum auxilium, nec citum, respe-  
ctu illius quæ in cubito lateris affecti, reuulsionis simul & euacuati-  
onis

onis causa fieri solet, nominatur: satius tamen est exiguum & certum, tutumq; præsidium, quam nullum experiri.

XVI.

Quod sane Galeni placitis minime repugnare arbitramur, à quo Aëtius ipse, alijq; Græci recentiores, veterum illorum doctrinam amplectentes, si probè intelligantur, haud dissentunt: nimur in pleuritide rectè curanda, cum adhuc generatur & in fieri est, & humores cum impetu quodam ad partem lœsam confluent, aut corpus totum illis abundat, venam cubiti interiorem in aduerso siue opposito interdum brachio, reuulsionis duntaxat gratia referandam esse, ad auertendam fluxionem à loco affecto, ad quem fieret eiusdem attractio, facto motu ab incisa eiusdem lateris vena.

XVII.

Non tamen ad coloris vsq; mutationem, animiue deliquium, sed modicum sanguinem extrahendum, & tempore quod satis est interposito, repetita uenæ incisione, rursus paululum eius auferendum esse, eò quod æger illum educi donec color mutetur, reuulsionis simul & euacuationis gratia, vel ob debiles vires, corporis habitum mollem, aliaq; supra enumerata, minime ferre posse videatur.

XVIII.

Atq; hæc de pleuritide superiores succingentis partes occupante, potiss. intelligi volumus. Quæ enim sub septo ima costarum spacia præhendit, ex alijs humoribus quam ex sanguine contracta: diuersa ratione curanda est, quæ hoc loco explicari nequit.

PROBLEMA.

Sitne probanda Mauritanorum sententia, qui sanguinem, in pleuride maximè, non ante mitti iubent, quam concoctionis nota in vrina appareant, idq; non solum in partium morbis, sed etiam in febribus, synocho præsertim?

FINIS.




Ela 4367.a. 2.



TA-OL  
(Titel 16 u.  
17 muß  
durch Handschriften  
abt. erfasst werden  
19.10.99 J. Stk.)

VD17



**Farbkarte #13**

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



QVÆSTIONES  
CVM  
CONCLVSIONIBVS  
AC PROBLEMATIS,

*Candidatis Doctoratus in Arte Medica  
numero IIII. pro insignibus Doctoralibus, Lipsiæ  
in æde Paulina per Martinum à Drembach  
Medicinæ Doctorem, eiusdemq; facul-  
tatis Decanum & Promotorem,  
consequendis, explicandæ  
& defendendæ:*

- I. De Phrenitide.
- II. De Epilepsia.
- III. De Apoplexia.
- IV. De Pleuritide.

Die XII. Mensis Septembris,

*Paulus Rainföld*  
*Anno 1648.*

Anno Christi Iesu

*M. D. LXXXI.*

LIPSIA

Iohannes Rhamba excudebat.

